IN LAUDEM DOMINICI S. R. E. PRESBYTERI CARDINALIS CAPRANICA

ORATIO

Habita Feria II. Paſchatis in Aula ejuſdem Collegii.

Coram Illm̃is, & Excmis Dominis Almæ Urbis Conſervatoribus,
Et Illm̃is Viris Dom. DD. Marchione Virgilio Creſcenzi
Petro Paulo Boccapaduli Virginio Cenci & Camillo
Capranica ejuſdem Collegii Gubernatoribus.

A' DOMINICO MORICI ANCONITANO

Prædicti Collegii Alumno.

ROMÆ, Typis de Comitibus, MDCCXLII.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORATIO.

TANTA non ſolum noſtro, ſed omnium planè judicio ſunt comoda, atque ornamenta, quæ homines maxima, & ſplendidiſſima ex bonis artibus, honeſtiſſimiſque diſciplinis feliciter conſequuntur, ut de iiſdem illud vſurpandum eſſe putaverim, quod ſapienter de amicitia dixit Tullius, quod nempe ſi quis eas de medio tolleret, Solem etiam ipſum de Mundo ſuſtuliſſe videretur. Doctrinæ enim præſidio, & præſtantis ingenii commendatione non modo privatus quiſque ampliſſimas ſibi dignitates, fortunas, nominiſque ſplendorem comparare facilè poteſt; verum etiam ad conſervandas, boniſque cumulandas omnibus Ciuitates nihil fermè conducibilius invenias, atque accomodatius, quàm ſi ſedulo humaniſſima literarum ſtudia excolantur. Quamòbrem omnibus fermè Nationibus ita hæc de bonis artibus opinio probata eſt, ut nihil antiquius optimi Principes habuerint, nihil illuſtrius geſtum exiſtimaverint, quàm ſi illis excolendis operam navarent, literarumque ſtudioſis, premiis, facultatibus, patrocinio opitularentur; norunt ſiquidem quæ commoda, atque utilitates tùm in ſingulos Cives, cùm in

Rempublicam univerſam inde manarent. Inter eos tamen, qui anteactis ſæculis hoc laudis genere floruerunt, magnamque eam ob rem apud poſteros famam, commendationemque ſibi comparaverunt, DOMINICUM CAPRANICA Cardinalem ampliſſimum, atque hujus Collegii ſtatorem beneficentiſſimum precipuè recenſendum arbitror, qui tùm cæteris præclariſſimis virtutibus, cùm maximè erga literas, literatoſque viros ardentiſſimo amore, multis facilè anteivit. Ex vetere itaque majorum inſtituto de tanti Principis laudibus dicturus, cæteris ejus ſingularibus animi dotibus prætermiſſis, nihil commendandæ ipſius memoriæ aptius, nihil huius loci maieſtati accomodatius me facturum exiſtimavi, quàm ſi breviter in hac tantâ ſapientiſſimorum hominum frequentiâ amorem illum ingentem, ac penitùs ſingularem oſtenderem, quo literas proſequebatur, eaſque non in ſe ipſo tantum modo, ſed in aliis quoque vehementer, avidiſſimèque exoptabat. Quod argumenti genus quùm plurimum habeat ponderis, & momenti ad veram laudem, nihil noſtræ Orationi, qualiſcumque illa fuerit optabilius, quàm ſi ego, qui viribus impar ad id munus acceſſi, erga optimum Principem aliquod ſaltem grati animi monumentum rependere videar; vos verò quotquot adeſtis lectiſſimi adoleſcentes ingenuis artibus addicti, ad eas quàm diligentiſſimè acquirendas tantâ luce præeunte alacrius excitemini.

I. Ineſt profectò humanis mentibus ingens addiſcendi cupiditas Doctrinæ, Sapientiæque amor: radiantis hic eſt in nobis divini luminis effectus, quo occultâ quadam naturæ vi veluti impellimur, & ad ſcientias ſuavi quadam voluptate trahimur, quod Plato, Ariſtoteles, cæterique Philoſophi jam pridem agnoverunt. Verum naturæ hoc præſtantiſſimum donum in pleriſque torpère com-

compertum eſt : id autem ideo euenire arbitror , quod maxima quidem felicitas in ſcientiis conſiſtat ; ſed maximâ alioquî diligentiâ , non intermiſſo labore , ſummâque induſtriâ pro illarum conſequutione opus ſit : quo fit , ut plerique homines otii plus æquo amatores tot difficultatibus capti tam egregium naturæ munus in ſupinam , oſcitantemque ſocordiam turpiter convertant ; Si quis vero contra illuſtre hoc donum in ſe languère haud patiatur , ſed omnem potius induſtriam , ingenium , laborem ad illud excolendum , fovendum , ampliandum adhibeat , hunc ego ſummâ commendatione dignum dijudicavero : Quod ſi ita res eſt , Auditores , quis DOMINICUM CAPRANICA non demiraretur ? Quis non eximia omnia ſibi polliceretur ab eo , qui adhuc puerulus luculentas hac de re dederit ſignificationes ? Nam vt primum iis artibus animum adiecit , quibus ætas puerilis ad humanitatem informari ſolet , tanto mentis ardore, ſolertiâ , aſſiduitate ſe geſſit , acriterque adeò parandæ , ſibi eruditioni inſudavit , ut nulla eum vis , nullum incommodum ab inſtituto retardaret . Probè ſiquidem noverat , nihil præſtantius habère homines , in quo honeſtius , & cum laude vita traduci poſſit , præter ingenuas diſciplinas , eas ſolum vera eſſe liberalis viri ornamenta . Nec irriti profecto ejus ceciderunt labores . Ipſius enim diligentiæ , induſtriæque magnus ita , vberrimuſque fructus reſpondit , vt & eximios progreſſus fecerit , & famæ celebritate cæteris quoſcumque celeriter antecelleret , & quantus futurus eſſet à prima jam ætate ſe proderet .

II. Humanioribus ſiquidem literis tantâ cum laude, ingeniique commendatione imbutus patriæ,qua nihil ſolet eſſe jucundius , parentibus optimis , commodiſque paternæ Domus opulentiſſimis fortiter renunciavit ; Pata-

ta-

Digitized by Google

Poggius in vita Cardinalis.

taviique in juriſprudentia biennio diligenter excultus, cognitâ Joannis Imolenſis famâ, cujus tunc nomen in Italia, maximè celebrabatur, Bononiam profectus eſt, virumque doctiſſimum tribus annis ſic audivit, ut ne unam quidem eius lectionem prætermiſiſſe dicatur, eoque abſente nunquam gymnaſium ingrederetur. Quamòbrem factum inde eſt, ut magnâ ſemper cum omnium admiratione de obſcuris quibuſque quæſtionibus dilucidè, atque ornatè, de confuſis diſpoſitè, & elegantèr, de dubiis clariſſimè, copioſiſſimèque diſſereret, tantumque brevi tempore progreſſus eſt, ut primas ferè in talibus ſtudiis laudes præripuerit, eoſque honores perceperit, qui ampliſſimi, & glorioſiſſimi confecto ſcientiarum curriculo decerni ſolent. O adoleſcentem magnanimum, ac ſolertiſſimum, & ad egregia quælibet planè factum! O amorem erga optimas diſciplinas ſtrenuum, ac propè ſingularem!

Idem.

III. Equidem non inficior fuiſſe DOMINICUM excellenti ingenio, memoriâ firmâ, ac ſummâ dicendi facilitate à natura donatum; illud tamen etiam certum eſt, nec labori, nec induſtriæ peperciſſe, quominus viam ſibi ad ſapientiam, & gloriam pararet expeditiſſimam. Quùm enim intelligeret prudentiſſimus adoleſcens ſtudio nequaquam vulgari venalia eſſe eruditionis, & literarum premia, cunctis ex animo abdicatis curis, quidquid dabatur otii in acquirendâ doctrinâ inſumebat, in eâque omnem operam, diligentiamque collocabat. Hinc quùm minimam etiam temporis partem per otium, deſidiamque traductam impendium cenſèret graviſſimum, factum ſæpè eſt, vt noctes plurimas permagno valetudinis incomodo libris, rerumque contemplationi inhærens inſomnes duceret, vel ſi aliquando ſomnus oculis irreperet, nonniſi per horæ

Poggius ibid.

ſpa-

ſpatium, & capite ad parietem paululum flexo, non tam obdormire, quam pati conſueſceret. Iactent modo veterum hiſtoriarum monimenta ſapientiſſimum illum dicendi Magiſtrum Demoſthenem, quo faciliùs ad ultimum eloquentiæ apicem perveniret, omnes artifices antelucanâ induſtriâ ſuperaſſe; Adoleſcens enim præſtantiſſimus indomitam illam diligentiam feliciter adęquavit, nec adęquavit modò, ſed longè eſt etiam prætergreſſus. Quare quùm tantâ eſſet mentis amplitudine, & ſingularis doctrinæ laude ſupra cæteros emineret, quid mirum, Auditores, ſi Sapientiſſimus Pontifex Martinus Quintus ſedulus ſemper meritorum indagator eum primum Cameræ Clericum, Secretarium poſtea adlegerit, in Senatum tandem Apoſtolicum lubentiſſimè cooptauerit, quùm ad illos honores non fumoſis (quod potuiſſet) majorum imaginibus, non generis claritate, ſed ſuis ſibi ornamentis, ac laboribus iter patefecerit? Quid mirum ſi in tanta ingenii, ac ſapientiæ luce ſupercilium nunquam extulerit, modeſtum, ac temperatum virum ſe fortitèr exhibuerit, ac ſummam ſemper doctrinam ſumma cum pietate, ac religione coniunxerit, quùm nonnihil, ut de præclariſſimis viris dixit Cicero, ad percipiendam, colendamque virtutem literis adiuvaretur? Quid mirum ſi in tot graviſſimis Legationibus quas multas tùm Senis, tùm in Flaminia, tùm in Ducatu Spoletino, in Piceno, in Liguria, aliiſque Vrbibus, ac Provinciis feliciter obivit, nihil eſſet tàm in ancipiti, ac in excelſo poſitum, quod & ipſe conſilio non regere, & auctoritate tueri poſſet, quùm tantis abundaret præceptis, inſtitutiſque diſciplinarum, ex quarum fontibus animi magnitudo, judicii maturitas, atque prudentia, quidquid tandem decòrum dicimus uberrimè dimanant?

Poggius ibid.

Pro Arch. Poe.

Ciacconius, Raynald. ad annum 1426. 1453.

IV. Illud

IV. Illud potiùs mirandum maximè, quod hæ res, quæ cæteros remorari ſolent, incredibilem illum in literas amorem non retardarunt. Fuiſſe enim certò ſcimus quandoque aliquos, quibus poſt diutiſſimas in literis contentiones ad ſublimiſſimos honorum gradus evectis ſuſcepta Dignitas initium quieſcendi, ac portus eſſe tranquillitatis, & otii videretur; ab hac tamen deſidia quàm longiſſimè DOMINICUS abfuit, cui quæ cæteris languorem afferunt, acerrimum fuerunt ad majores etiam ſolicitudines incitamentum, qui plurimis quamquam undequaque negotiis occupatiſſimus; provectiore tamèn ætate ità ſeduló Philoſophicis, ac Theologicis diſciplinis vacavit, ut inter doctiſſimos haberetur, qui tandèm in ipſis etiam legationibus, quæ omnem animum, omnemque ſibi curam vindicarent, nullum abire diem paſſus eſt, quin quidpiam aut legeret, aut ſcriberet, aut memoriæ mandaret, quemadmodum Tullio, ac Plinio teſtibus ab Hortenſio, & Appelle præclariſſimis eloquentiæ, & picturæ luminibus factum olim fuiſſe accepimus, qui ne unam quidem prætermiſſam voluere diem, quin alter in Foro diceret, aut Domi meditaretur, alter verò aliquas in tabulis imagines delinearet? O laudem DOMINICI ſingularem! O prædicationem Principibus Viris, & Regibus planè ipſis invidendam.

Poggius ibid.

V. Neque verò ità ſe literis abdidit Sapientiſſimus homo, vt nihil poſſet ex his neque ad comunem adferre vtilitatem, neque in adſpectum, lucemque proferre. Qùm enim omnes annos ità viueret, ut illum nullo vnquam tempore, aut comodum ab his ſtudiis abſtraxerit, aut voluptas avocaverit, aut denique ſomnus retardaverit, plurima publicis literis, monumentiſque conſignavit, quæ cùm nulla vetuſtas obruet, aut delebit oblivio,

Poggius, & Ciacconius.

vio, tùm ità accuratè, eruditeque ſcripta ſunt, ut ad veterum ferè ſcriptorum laudem perueniant. Quumque omnem Doctrinæ vim, ac Sapientiam ex perpetua librorum lectione hauriendam eſſe cognoſceret, nihil æquè præter illos in deliciis habebat, eos lubentiſſimè peruolutabat, iis ſolemne dixerat Sacramentum. Cui quidem rei hoc unum argumento omnium luculentiſſimo eſt, quod quum mille amplius librorum volumina Domi adſervaret, quæ tum ad Civile, tùm ad Pontificium Ius pertinerent, nihil omninò in his fuit, quod incredibili plane labore ipſe non viderit diligentiſſimè. Iuriſprudentiam tamèn quùm admiramur, ne quis eam putet à cæterarum facultatum, diſciplinarumque comercio in DOMINICO fuiſſe ſejunctam, ſed quod creditu difficile redditur, ſi quid ſingulare, ſi quid utile, ac ſtudio dignum reliquis inſidebat diſciplinis, id ei notum, perſpectumque fuit, qui hiſtorias tantas legerat, quantas nemo alter, Philoſopos, ac Oratores per quàm habuerat familiariſſimos, Poetas omnes perluſtrauerat. Atque id quidem tanta præſtabat diligentia, animique contentione, vt ea quæ legeret non percipere, ſed recordari potius ex antiqua Platonis Sententia videretur. Quamobrem ne momentum ſibi otioſè vnquam efflueret, quod potui, quod cibo tribui neceſſe erat, cum aliquo ſemper eruditionis ſtudio præſertìm verò Sacrarum Literarum lectione corporis curam prudentiſſimè conjungebat, veteres hac in parte ſapientiſſimos imitatus, qui Plutarcho auctore, etiam dum lectica veherentur, lectioni vacabant, pręſertim verò eximium illum Virum Catonem Vticenſem, qui in ipſa etiam Romana Curia dum Senatus cogeretur, libros gręcos lectitabat.

Poggius ibid.

Poggius, & Ciacconius.

VI. Quæ quùm ità ſe habeant nemo eſt, ut opinor, qui non videat propenſiſſimam tanti Viri erga optimas

Digitized by Google

diſciplinas voluntatem, & conteſtatam jam abundè ſatis erga illas incredibilis ſtudii ſui ſignificationem. Quoniam verò ingens, atque inuſitatus amor ille, quo CARDINALIS ampliſſimus fovebat literas, in dies magis invaleſceret, atque augeretur, eo uſque proceſſit, ut certis ſe amplius deſcribi finibus non pateretur, ac in alios quoque latiſſimè, vberrimèque ſeſe diffunderet; vaſti fluminis inſtar, quod quùm propter maximam aquarum copiam ſolitis ſe limitibus continere non poſſit, fractis tandem obſtaculis in Agros etiam, & Syluas admirabili excurrit celeritate. Quam itaque in ſe ipſo literariæ dignitatis famam optimus Princeps ardentiſſimè, deperibat in aliis quoque eam ſtudiis omnibus perquirebat, illoſque quominus ad hanc gloriam erigeret, & quantum poterat, excitaret, nunquam vel minimum aut voluntate defuit, aut induſtria. Atque vt propius flagrantiſſimum illum DOMINICI erga Literatos amorem introſpiciamus, ſedulò Auditores eruditiſſimi, temporum illorum, quibus ille floruit, ſortem, conditionemque animo reuoluite: & heu miſerrimus literarum adſpectus! heu quàm ſqualida totius Italiæ, immo uniuerſi Orbis facies apparebat, à quo literæ exulaſſe penitùs viderentur. Noſtis profectò, Auditores omnigenâ eruditione præclari ævi illius homines quatuor ſæculorum ſpatio ita otio, ſocordiàque correptos, ut nullum priſtinæ diſciplinæ, nullum ſcientiarum, ac bonarum artium veſtigium adinueniretur: ſumma barbaries ita Animos occupabat omnium, ut ultimum penè exitium literis omnia portenderent. In tali autem rerum ſtatu quid non egit literarum amantiſſimus DOMINICUS, ut antiquâ expulsâ barbarie literæ reuiuiſcerent? Quis unquam adoleſcens fuit aliquo ingenio præditus, quem ipſe quaſi publicus literarum parens peramanter non exciperet

peret

Digitized by Google

peret, benignèque ad meliora ſperanda non inflammaret? Quùm etenim bonarum artium hoſtem acerbiſſimum, importunumque domeſticam egeſtatem eſſe certò cognoſceret, ne qui præclaram mentis aciem ſortiti fuerant, eos priuatæ inopiæ calamitas conficeret, quominus ad excolenda naturæ bona accenderentur, ipſe rei familiaris difficultatem minuebat, ipſe animum erigebat, ac manum oportunè præbebat. Idcircò etsi Regiæ liberalitatis, ac munificentiæ ſplendore cæteros ejus ætatis Principes facilè præſtaret, vtpotè qui ſuarum fortunarum partem Eccleſiis, partem miſeris, & egentibus efuſiſſimè ſemper erogaret, ubi tamen de optimis ſtudiis augendis conſilium erat, non ſolum alios, ſed ſe ipſum quoque liberalitate vincere videbatur. Quapropter nullus erat Magiſtratus, nulla dignitas, nullum decus tam ſplendidum, ac glorioſiſſimum, quod literarum cultoribus aut ipſe lubentiſſimè non concederet, aut concedi non contenderet. Domi vero ignaros homines, & otioſos nunquam ſedem habere voluit, ſed ab ſe ſemper longè reiiciens neminem in ſuorum familiarium ordinem adſciuit, niſi Viros literarum, optimarumque artium ſtudioſiſſimos, quemadmodum poſteriore ætate feciſſe accepimus egregia illa Senatus Apoſtolici lumina Bembos, Sadoletos, Cantarenos, Campegios, alioſque horum ſimillimos, qui eos ſolum in aulam admittebant, quos ſingulari ſapientiæ laude præſtare intellexiſſent.

Poggius ibid.

Poggius ibid.

Ciacconius.

Sanſovinus italicè, Joanna Caſa latinè. Ughellus in additionibus ad Ciacconiũ, & Cabreram.

VII. Itaque ex ejus Domo veluti ex emporio ſcientiarum plures clariſſimi, omnique eruditionis genere ornatiſſimi Viri prodiere, Æneas Piccolomineus, qui deindè ad Summum etiam Pontificatum euectus eſt, Iacobus Ammanatus Cardinalis poſtea Papienſis, Amicus Aquilanus, Franciſcus Archidiaconus Toletanus, Antonius

Glacconius. nius Latioſus, & Blondus ambo Foroliuienſes, alijque permulti, qui religione, & literis laudem apud Poſteros ſortiti ſunt immortalem. Illud tamen valdè mirandum, & à vetere fortaſſe conſuetudine prorsùs alienum, quod homo in ea rerum multitudine, ac varietate conſtitutus, vt maximis ſemper curis eum detineri neceſſe eſſet, quotidie tamen poſt horas meridianas doctiſſimos illos Viros, quos Domi alebat, apud ſe in vnum benigniſſimè conuocaret, ut de Theologicis, ac Philoſophicis quæſtionibus inuicem diſputationes haberent, eoque conſilio latiſſimus cuique excolendi ingenii campus pateret; adeo in optimis ſtudiis amplificandis, uberrimèque exornandis inſiſtebat!

Poggius.

VIII. Quamvis enim ad perfectam conſummatæ ſapientiæ laudem obtinendam plurimum natura valeat, atque doctrina; intelligebat tamen prudentiſſimus CARDINALIS, quod ſi ad res illas accederet ratio quædam, conformatioque exercitationis, tunc demum ſapientia ipſa neſcio quid præclarius haberet, & ſingulare.

IX. Dies profecto me deficeret ſi ſingula non dicam complecti orando, ſed percensère numerando vellem, quæ DOMINICVS CAPRANICA ad rem literariam augendam, atque omni amplitudine cohoneſtandam uſque ad extremum Spiritum conſtantiſſimè ſemper geſſit. Sed cur alio excurrat, aut ſe vertat oratio mea, ſi tam eximiæ, ac præclariſſimæ laudis luculentiſſima quotquot ad ſumus his plane oculis videamus argumenta, ampliſſimum ſcilicet hoc COLLEGIVM hoc Muſarum Domicilium, hanc honeſtiſſimarum diſciplinarum Sedem, quam amantiſſimus Parens inauditâ nominis ſui celebritate à fundamentis erexit, erectumque conquiſitis per omnem ferme Galliam, Germaniam, Hiſpaniam, totumque Terrarum Orbem libris, ac volumi-

luminibus quàm maximâ diligentiâ exaratis nulli ſumptui parcens ſplendidiſſimè ornauit, auxit, locupletauit, Iuriſque publici fecit? At enim vero ad hanc factam COLLEGII hujus mentionem, ac Bibliothecæ, eo me ſentio oratione provectum, vt mihi de his rebus, quæ nos propius attingunt dicendum ſit: Ego enim ita exiſtimo, cęteras DOMINICI laudes maximas eſſe quidem, & in omnem ætatem permanſuras, tamen affirmo, & pacę hoc dicam ſua, nullam in his eſſe gloriam, commendationemque illuſtriorem, ea quam ſibi ex hoc COLLEGIO magnificentiſſimè excitato potiſſimũ vindicavit. Fuerunt certè poſterioribus ſæculis Romani Pontifices, & homines ſapientes, qui quùm optimarum artium ſtudia promoverent, in hac Urbe omnium Principe COLLEGIA nobiliſſima inſtaurarunt. Ejuſmodi decus, laudemque perhonorificam aſſequutos fuiſſe *Leonem X.*, *Pium IV.*, *Gregorium XIII.*, *Vrbanum VIII.*, *Ludouicum Ludouiſium*, *Antonium Saluiatum*, *Michaelem Tonti*, *Stephanum Nardinum Cardinales* ampliſſimos, alioſque quamplures ex hiſtoriarum monimentis perſpicuum, compertumque eſt. Laudandi ſanè viri doctiſſimi, & de literaria Republica optimè meriti, ſed in hac gloriæ magnitudine cum CARDINALI CAPRANICA neutiquam comparandi, quorum laudes, non modo ei palmam, primaſque non præripere, verum etiam commendationem magis, magiſque augère contendo. Quamvis enim multa in hodiernam diem extructa Collegia ſint, atque Gymnaſia, muſis liberaliſſimè conſecrata, qui tamen id operis, & Conſilij aggreſſi ſunt, prælucentibus ſibi maiorum exemplis, quorum virtutem æmulabantur, quorum veſtigijs inſiſtebant, illud ſuſceperunt: ac præterea ea tempeſtate, qua literæ exiſtimationem propriam iterum ſibi vindicauerant. At vero DOMINICVS,

Spondanus continuatio Baronii.

CVS,

CVS, qui nouas ſemper, atque inuſitatas exquirebat rationes, quibus literæ ornarentur, non modo neminem habuit, qui ſibi hac in re veluti facem præferret, viamque commonſtraret, ſed primus ipſe fuit, qui præclariſſimum facinus excogitaret, excogitatumque oportunè auſpicaretur, & quidem infenſis omnino temporibus. Vt propterea ſi verum fateri velimus, & quod quiſque ſentit ingenuè, & palam dicere, Collegia cœtera, & incrementa illa ſcientiarum, quæ conſequutis inde ad noſtra uſque tempora ætatibus in hac Urbe habita ſunt maxima, & admiranda, uni DOMINICO CAPRANICA accepta referri potiſſimum debeant; qui tanti operis jecerit fundamenta, novumque alijs iter, atque expeditiſſimum, quo ad gloriam contenderent admirabili propè conſilio patefecerit. Idcirco quæcumque optimus CARDINALIS ad ſempiternam hujuſce Accademiæ ſtabilitatem, præſidium, ac amplitudinem ſapienter geſſit, atque decrevit, eæ demum ſunt commendationes, ut cęterorum laudibus obſcuritatem quamdam ſplendore ſuo adferre videantur; ipſius vero ita propriæ, ut hujus glorię ſocium habeat neminem; totum hoc quantumcumque, quod certè maximum eſt, totum ſit inquam ſuum, nihilque ſibi ex iſta laude maiorum exempla, atque inſtituta, nihil experientia, nihil caſus, nihil fortuna ipſa decerpat.

X. Utinam mihi ingenii vis tanta, tantum ab eloquentia decus eſſet, vt præclarum hoc DOMINICI geſtum, cęteraſque ejus ampliſſimas laudes congruâ oratione proſequi valerem, atque complecti. Sed quoniam eo ventum eſt, vt pro dignitate quidem ejus parum, aut nihil, pro temporis vero diuturnitate ſatis, multumque dictum eſt, finem dicendi faciam. Quod quùm tanta ſint, quæ de DOMINICO dici, ac prædicari poſſint,

Digitized by Google